

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Richardi Arsdekin Soc. Iesu S. Theol. Professoris
Theologia Tripartita Sive Resolutiones Polemicæ,
Speculativæ, Practicæ, Controversiarum, & Quæstionum,
etiam recentissimarum, quæ in Schola, & ...**

Missionarijs, & alijs animarum Curatoribus, & Theol. studiosis solerter
accommodatæ ...

Complectens copiosè Resolutiones Theologicas, etiam modernas, ad
proxim accommodatas

Archdekin, Richard

Antverpiæ, 1682

Quæstio 5. An in Prælio navalı probabile sit, licitum esse militibus ignem
pulveri nitrico injicere, & se mari committere, ne ipsi cum navi, & opulenta
præda in hostium manus deveniant?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40873

QUÆSTIO V.

An in prælio navalí probabile sit licitum esse militibus ignem pulveri nitrico iniicere , & se mari committere , ne ipsi , cum navi , & opulenta præda in hostium manus deveniant ?

R Esondeo probabile videri id licitum esse , si haec conditiones observentur : primò ; ne id fiat eâ intentione ut quis seipsum directè occidat , sed ne hostis iniquus prædā ditetur , & si fieri possit , propria vita servetur : Secundò , ut nulla sit spes navim , aut vitam aliter conservandi , nec in eo statu sit ut de animæ salute despetetur . Hanc sententiam docet Lessius de just. & jure lib. 2. cap. 9. dub. 6. sed & probabilem censet Marchantius , Trullenbach , Prado , Velasco , Wigers de just. tract. 2. c. 2. dub. 18. Malderus , & Diana part. 5. tract. 4. resol. 26. & alibi : Contra plures qui existimant hanc esse directam sui occisionem , quæ nunquam licita est . At contrarium probatur , primò , quia sine directa sui occisione licitum est adhibere ignem pulveri tormentario ad evertendam arcem aut mænia hostilia , etsi quis videat se arcis ruinâ , aut alio modo interrimendum , ut admittit Cajetanus , & Sylvester verbo Bellum . 2. quæst. 3. Item in naufragio qui arripiuit tabulam , quâ possit vitam suam servare , licet eam concedit viro principi , aut etiam insigni amico , esto videat se fluctibus absorberendum , uti docet Victoria , aliquie apud Dianam part. 5. tr. 4. resol. 24. Laudat quoque S. Ambrosius lib. 1. de offic. cap. 40. factum Eleazar lib. 1. Machab. c. 9. qui ut turrim ligneam hostibus refertam & elephanti impositam everteret , ele-

E 5

phantī

106 Pars 3. tract. 1. De probabilitate Opinionum
phanti se supposuit, eumque gladio confudit,
cujus tamen lapsu ipse quoque obruendus erat.
Nec leve pondus huic sententiae adiicit mandatum
Philippi IV. Regis piissimi, quo præcepit
Ducibus navium Indicarum, ut si nequeant ali-
ter hostes evadere, naves perforent, ut submer-
gantur, ne præda tam opulenta in hostium pote-
statem deveniat, quibus suas vires contra Regem
multum roborarent. Hoc verò Rex justissimus
hand dubiè non præcepisset, nisi ea de re viros
doctos ac sapientes consuluisse.

Unde patet, et si hæc sententia ob periculum
abusus suadenda non sit, non esse tamen omni-
nò damnandos, si qui, cum conditionibus ini-
tio appositis, eam improbare noluerint.

QUÆSTIO VI.

*Quæstio multum agitata est: An, & in qua necessi-
tate teneatur dives ex superfluis sui status
proximo subvenire?*

Raro locum ullum habebit hæc quæstio, si
quæ non requiruntur ad meliorandum statum
præsentem, aut acquirendum novum, ut v.g. ex
mercatore fiat nobilis, aut ex canonico Deca-
nus, ex Decano Episcopus &c. Per superflua igi-
tur hic intelligo ea bona, sine quibus præsens
vitæ status in quo jam constitutus es, sat com-
modè ducitur.

Respondeo ad quæstionem, Primò, quemlibet
graviter obligari, ex superfluis statui præsenti
succurrere gravi necessitatì sui proximi. Hoc c-
onim ad minimum requirunt Scripturæ illæ que
graviter reprobrant divitibus neglectum mis-
ericordia.